

Gf
5


BUCHZEICHEN

MAX PINKUS



35/2373

ffl.



358.1937.

D E

SIGNIS SEU SIGNETIS

NOTARIORUM VETERUM

I N

SILESIACIS TABULIS,

PRAEMISSA BREVI COMPARATIONE TABULARUM
SILESIACARUM CUM GERMANICIS,

S C R I P S I T

Dr. IOHANNES GUSTAVUS THEOPHILUS BÜSCHINGIUS,
PROFESSOR EXTRAORDINARIUS HISTORIAE ARTIS MEDII AEVI RE-
RUMQUE DIPLOMATICARUM ET ARCHIVARIUS UNIVERSITATIS
LITERARIAE VRATISLAVIENSIS.

CUM C SIGNETIS IN VII TABULIS LITHOGRAPHICIS.

4545



VRATISLAVIAE MDCCXX.

T Y P I S K U P F E R I A N I S.



THE SIEGE OF
TROY

MICHAEL PITT-RIVERS

K1

THE SIEGE OF TROY

BY MICHAEL PITT-RIVERS, F.R.S., F.B.A.

WITH ILLUSTRATIONS BY JAMES H. GREEN

OXFORD

CLARKE, BELL AND CO., LTD., 1912. 12S. 6D.

PRINTED IN GREAT BRITAIN BY CLARKE, BELL AND CO., LTD.

AT THE UNIVERSITY PRESS, CAMBRIDGE, 1912.

ALL RIGHTS RESERVED

PRINTED IN GREAT BRITAIN BY CLARKE, BELL AND CO., LTD.

PRO O E M I U M.

Si quis, qui hucusque de rebus germanicis non nisi lingua patria in permultis scriptis usus, nunc lingua sibi non adeo familiari Lectores alloquitur, necesse habet eorum precibus indulgentiam implorare. Muneris novi Academicici ingressus elaborationem imperat Disquisitionis, cui libenter elegi argumentum ex arte diplomatica, quam novissimis temporibus non tam magna cum diligentia quam decimo septimo et octauo saeculo viri docti tractavisse mihi videntur.

Sane viri celeberrimi, qui repente quasi ex nihilo doctrinam rerum diplomaticarum creaverunt et construxerunt, partem universalem tali diligentia exornavere, ut parum admodum adiici possit. Pars autem diplomatica specialis adhuc desiderat diligentissimas investigationes, et quia fere tot genera eiusdem sunt, quot terras medio aevo Germania habuit, diversitas locorum quaeque novam et propriam disquisitionem facit necessariam.

De rebus Silesiacis diplomaticis quaestio universa hucusque facta non reperitur; quanquam passim haud contemnendi sed laude magna digni viri multis historicis scriptis nonnullas observationes, exempli gratia de titulis cognominibusque ducum, de testibus, de sigillis etc. prodiderint. Veritas axiomatum, quae Mabillon, Gatterer, et alii libris immortalibus consignaverunt,

apparet ex aequalitate tabularum unius saeculi in omnibus Germaniae terris. Videlicet si legere potes et intelligis tabulas scriptas ad litora liquidi viridisque Rheni, perspicies etiam illas, quas tibi offerunt orae turbidi et lutei fluminis Viadri.

Specialis Silesiacae artis diplomaticae thema paucis his per tractabo foliis, partim ad probandam eius similitudinem cum ceteris terris germanicis, partim ad demonstrandam proprietatem Notariorum Silesiacorum.

Atque ut redeam ad initium huius prooemii, veterum Chronicorum, Tabularum, aliorumque Scriptorum Latinorum lector diligens et scrutator medii aevi mel eloquii romani inde non colligit, sed saepius favos sermonis barbari vocabulorumque mandere cogitur. Quodsi igitur hisce scriptis inde adhaereat ceraginis istiusmodi, rogo te, Lector benevolentissime, ne in germanissimo patriae filio Latinae linguae commendationem desideres.

A P H O R I S M I

EX ARTE DIPLOMATICA SPECIALI SILESIACÀ.

Ars diplomatica Silesiae ignorat solennitatem istam insignem, quae in perscriptionibus Germanorum Imperatorum reperitur. Nulla firma conjunctio erat inter primos Germaniae Reges et Poloniae Silesiaeque Duces. Igitur tabulae imperatorum usque ad Carolum IV, qui Rex Bohemiae, simul Silesiae princeps erat, nullae ad res Silesiacas pertinentes inveniuntur. Referendarios, Apocrisarios et Cancellarios eo sensu quam in imperialibus tabulis reperimus, et qui generali Notariorum nomine comprehenduntur, ignorat Silesia. Duces huius terrae Cancellarios quidem habebant, quibus commissa erant publica negotia secularia, sed ad omnes causas legales, ad scribendas perscriptiones, usi sunt notariis curiae, qui saepe erant Capellani et fere semper homines ecclesiastici.

Antiquissima tabula omnium Silesiae tabulariorum hucusque reperta est anni 1175 ab Duce Boleslao data, qui primus huius terrae Dux proprius erat. Iam inde hoc ab anno usque ad hoc saeculum tabulae reperiuntur lingua Latina, Polonica, Bohemica et Germanica scriptae. Leges igitur cognoscere, quibus notarii curiae sunt usi, facillima res est.

Contemplemur itaque generatim tabulas Silesiacas secundum ordinem, quem in doctrina artis diplomaticae solemus observare.

Gatterer enumerat in elementis artis diplomaticae universalis vocis diplomatis, quae raro in ipsis diplomatibus occurrit, synonyma §. 14. Ars diplomatica specialis Silesiaca nobis praebet Synonymon, quod huic maximo doctori in rebus diplomaticis incognitum fuisse videtur. Hoc verbum est series. Sic enim incipit Dux Opoliensis Boleslaus literas anni 1297: »Ideoque nos Boleslaus dei gratia dux Opoliensis notum facimus universis hanc seriem inspecturis.“

Lingua Latina notarii curiae, ecclesiastici homines et omnes scriptores tabularum usi reperiuntur in primis diplomatibus. Verosimile videtur esse mihi — timide loquor ita, quia quamquam permagnam partem tabularum vidi, tamen nullo modo omnes omnino novi, ideoque fieri potest, ut in Silesia superiori praeципue tabulae lingua patria perscriptae reperiantur — verosimile igitur est, non ante finem saeculi tertii decimi lingua Germanica, Bohemica aut Polonica diplomata fuisse conscripta. Superior itaque hic est usus linguae patriae, quam in ceteris Germaniae regionibus. Et quia Silesia communem linguae Germanicae et Slavicae usum habebat, utroque etiam sermone partim in regionibus juri Teutonico, partim in curiis, villis et civitatibus juri Polonico addictis, sunt conscripta diplomata. Attamen tabulae lingua Bohemica aut Polonica scriptae praecipue in inferiore Silesia rarissimae sunt.

Quibus in rebus invicem congruant diplomata variarum regionum, iam dixi; hinc omnia, quae proferunt libri in quibus ars diplomatica traditur, de structura, coniunctione, scriptura etc. literarum, spectant etiam ad tabulas omnes ejusdem temporis Silesiacas.

Literis longioribus, quibus conscriptae sunt tabulae nonnullorum Imperatorum Romanorum ab initio usque ad finem, Si-

lesii ab initio scripturae tantum usi sunt et prima linea fere tantum ita scripta est.

Siglae verbales simplices occurrunt nobis praecipue, ubi in literis confirmativis antiquae tabulae de verbo ad verbum repetitae et insertae reperiuntur, et nomina testium ex scripto originali expressa sunt. Interdum etiam dator diplomatis per singularem literam tantum indicatur. Exempli gratia, in diplomate ex tabulario monasterii Lubensis (Actum in Cozle (Kosel) et datum Anno domini M° C° C° C° quarto Indicione ij quarto kal. Marcij): „Nos igitur w. dei gra Dux“ etc. W est litera singularis nominis Wladislai. Tum nominantur ii, qui fratri Iohanni in Kasymir (praepositura Monasterii Lubensis) partem possessionis permiserunt his verbis: „quod Albertus. Nicolaus. Dominicus. cum duabus Sororibus, videlicet Agata et Sdeslaua, filij harmuconis et Bertoldus cum uxore ipsorum patruus“ etc. deinde ad finem legitur ita: „ut eandem vendicionem dictorum A. N. D. et sororum eorundem filiorum P*) et B patrui eorum“ etc.

Chrismon paucae tabulae duntaxat monstrant, et semper figura huius signi divini constat in diplomatibus Silesiacis litera singulari C, sine omnibus ornamentis aliis.

Notas Tironis frustra ibi quaeris; igitur hac diffcili doctrina, quam eruditissimus et celeberrimus Koppius novissimis temporibus nobiscum communicavit, non uti potes.

Abbreviaturarum sensum in Silesiacis diplomatibus praebent lexica et explicationes Waltheri, Baringii, Mannerti et aliorum virorum eruditorum longe atque late cognitorum. Et de nostris diplomatibus idem quod de libris Latinorum manuscriptis generatim tenendum est, quo sint antiquiora, eo paucioribus abbreviaturis impedita esse.

*). Quis est ille P? — H (?) Harmuconis.

Notae numerales recentiores sive Arabicae non inventiuntur ante ea saecula, quibus omnes tabulae germanicae eas adhibent: ideoque in scriptis Silesiacis nunc notis Romanorum numeralibus, nunc verbiis latinis aut theotiscis expressi sunt numeri. Haec sunt exempla latinorum diplomatum: — „Nos Goscho de Münsterberg — rite ac rationabiliter vendidimus Herbordo scriptori cui in Munsterberch“ — libertatem vnius mansi, siti ante civitatem Munsterberch“ etc. „actum et datum in swidnicz (Schweidnitz) Anno domini. M°. CCC° XI°. Illustris Gruber invenit in monasteriis Austriacis versus Moravia et Bohemiam sitis tabulas ab decimo tertio usque ad decimum sextum saeculum, in quibus numeri per notas numerales Arabicas expressi erant. Silesia nobis haec exempla non dedit, quamquam certum est, in Silesia notas numerales Arabicas iam tertio decimo saeculo adhibitas fuisse; quod numerus anni 1206 in margine antiquissimae picturae collectionis picturarum huius Universitatis literariae docet. — Nil habeo quod de interpolatione et lineis in tabulis Silesiacis annotare possim.

Quoad formulas sunt hae similes iis, quas scriptores artis diplomaticae docuerunt. Tales sunt nonnullae primorum Ducum Silesiae formulae. Boleslaus incipit diploma fundationis Monasterii Lubensis ab anno 1175 his verbis: „In nomine sancte et individue trinitatis.“ Tabulae anni 1201, per quam idem Dux praeposituram Casimir fundavit, tale initium dedit. „In nomine domini amen. Ne cum tempore transeunte transeant a posterorum notitia, quae fuerint temporaliter facta et ordinata literarum debent perhennari testimonio et a stipulatione proborum hominum roborari.“

Filius huius Ducis, Henricus primus, dictus barbatus, fundavit anno 1203 monasterium Monialium Trebnicensium. Diploma primum sic incipit: „Memorie Novercatur Oblivio, et longinquitate temporis gestorum series obscuratur, nisi Vivacibus

literarum indicis ad posteros propagetur; Quod igitur in remissionem peccatorum humili devotionis affectu partivi huic pagelle ad notitiam tam presencium quam futurorum transferendum commisi.“ Inter omnes autem formulas huius ducis Henrici et aliorum omnium mihi videbatur sequens notatu dignissima, quia Notarios Silesiae non inscios sententiarum Romanorum poetarum et praecipue Horatii demonstrat. Est illud diploma anni 1234 quod incipit: „In nomine Domini Amen. Quia sicut videmus et frequenter audimus, Mors aequo pede pulsat tabernas pauperum et turres potentum, Nec fit aliquid sub sole quod non tendat ad interitum.“

Henricus quartus Dux Wratislaviensis, ille celeber praeco amoris, quem historia literaria germanica primum nominat scriptorem inter Silesiae incolas, his verbis incepit diploma: „In nomine domini amen. Licet in eximiis Principatibus constituti Regnorum solia dirigamus instantis tamen fati Necessitate compellimus, ut dum meditamur devota mente novissima, ad placitum disponamus et gloriam celestis vite longiorem“ etc.

Et ut praeebeamus etiam exempla formularum linguae paternae, exscriptas dabo hic duas; alteram anni 1444: „In Gotis Namen amen, Sind alle Ding, die sich zu czeiten begynnen, vnd anhebin, die vorgehen auch Ja der czeid, Es sey denne, das dye selbigen Ding mit schriftlichin und vorsigisten Brieffen crefftiglichen bestetigit vnd befestigit werden;“ Alteram anni 1501: „In dem namen der Heiligen vnd vnerfeilten Dreyfaltigkeit Seliglichen Amen.. Auf das die geschicht der Fursten in vnuorgessenheit durch die vorgengliche zceyt nicht kwemen, duncket vns von notten zu sein, Solchs durch Brieff und Handfesten schriftlich bey Menschlichem gedachtnisse zw behalden.“

Non distinximus singulas formulas, quas viri docti multi tradunt, sed dedimus semper totum verborum complexum, quia Lector eruditus facile potest cognoscere singulas illas, quas Mabillon, Gatterer et alii inter formulas introitus denominant.

De aliis formulis, quanquam eae nihil novi nobis praebent, observandum, tantum pauca addam et quidem de arte symbolica, etsi doctores nonnulli rei diplomaticae, praecipue celeberrimus Iustus ab Schmidt dictus Phiseldeck, non necessariam partem artis diplomaticae eam credant.

Symbolorum in diplomatibus Silesiacis mentio rarissima est: attamen notatu dignissimum eorum exemplum tabularium hospitalis S. Mathiae Wratislaviensis nobis praebet. Gatterer hoc posuit exemplum: „Per pileum Richardus I., Rex Angliae, Henrico VI, Romanorum Imperatori, in cuius custodia detinebatur, regnum Angliae tradidit, eumque de hoc investivit. Per virgam et pileum Ducatus, praesertim in Anglia, collati sunt.“ — Nostri exempli annus est 1300, 1310 seu 1313 (incertus enim est, quia sic formula perscriptionis temporis scripta: „Actum in Cymiterio ecclesie nostre predice“ (est ecclesia de Sancta Margaretha districtus Wratislaviensis) „anno domini M°. CCC°. decimo tercio. kl. Martii“). Hoc diploma verba sequentia exhibet nobis: „Petrus plebanus ecclesie de Sancta Margaretha profitetur, quod constitutus coram eo Iohannes Languelt, miles, tradidit iure proprio in perpetuum Molendinum situm in fundo detis ecclesie predice, eo iure quo ipsum possidebat, --- viro discreto Cunado de Wirbicz pro quinquaginta marcis pecunie usualis. Nos autem“ — adduntur haec ipsissima verba tabulae — „huiusmodi vendicionem ratam habentes et gratam, ipsum Cunadum per pilleum ipsius Johannis militis de ipso molendino duximus presencialiter inuestiendum.“

Aliud signum investiturae, quod documentum Silesiacum habet, est illud per clavem. Haec traditio est fere unica, quae nobis ex illis antiquis temporibus remansit. In tabulario hospitalis Sancti Mathiae Wratislaviensis reperitur (sub Nr. 168. novi chronologici Indicis) diploma, quod Andreas de Rosslawicz, Canonicus et Officialis Wratislaviensis anno 1353 perfecit. In eo

„Nicolaus balneator unam marcam annui et perpetui census pro novem marcis cum dimidia rite et rationabiliter vendidit in et super stuba balneali et area sive orto“ (horto) „prope et circa molendinum hospitalis sancti Mathie foris ciuitatem Wratislauiam situatam“ etc. — „Idemque Nicolaus ibidem censem eundem in manus nostras“ (scilicet Andreae de Rosslawicz) „tamquam ordinarii“ (scilicet judicis) „per clavem vnam beniuole et libere resignauit.“ — „Et nos“ (haec sunt ipsa verba Andreae de Rosslawicz) „huiusmodi libera resignacione recepta dictum dominum et fratrem Iohannem“ (hic Iohannes, quondam plebanus in Cruceburg et frater ordinis Cruciferorum cum stella, est emtor hujus census) „et omnes suos successores quibus nomine veri testamenti legauerit sev duxerit commitendum per eandem clauem, curauimus inuestire.“

Staurologiae usus rarus est in explicandis Silesiae diplomatibus. Crux in fronte tabulae posita, et ante datum, quo loco rarissime invenitur*), mihi nusquam occurrit; in margine chirographorum autem, tam partitorum quam indentatorum, interdum vidi. Subscriptionibus tabularum hoc signum divinum in primis et antiquissimis nostris diplomatibus nunquam additum est, quia ex antiquissimis temporibus, a saeculo quinto, hoc est ab eo inde tempore, ex quo omnium, quae existant, antiquissimae chartae supersunt, usque ad saeculum duodecimum nullum remansit huius terrae diploma, et verosimiliter tale scriptum ante undecimum saeculum nullum in his terris, tum adhuc ignaris veri dei, exaratum fuit. Duces usque ad finem saeculi quintidecimi non subscripserunt nomina, et nepotes regis Bohemiae Georgii Podiebrath, duces Munsterbergenses, sunt primi, qui nomina manu sua subsignaverunt; antea satis habebant sigilla adjungere. Hinc quoque signa nominaque testium, ipso-

*) Gatterer elementa artis dipl. univers. §. 260.

rum manibus scripta, nulla tabula demonstrat, quia Notarius curiae, vel Capellanus, vel Notarius publicus, vel cuicunque tabula perscribenda commissa erat, sua manu nomina omnium praesentium et ad hoc negotium convocatorum adscribere solebat, nec ullum signum testis, aliave ulla praesentiae probatio necessaria erat. De diplomatibus nostris temporibus propioribus et magnis et parvis, bene et male delineatis crucibus, non depictis, sed potius inquinatis, non loquimur. In sigillis Ducum, Episcoporum, Abbatum, Urbium, Monasteriorum, Equitum, Nobiliumque semper ante circumscriptas literas expressa est crux.

Nullus Ducum Silesiae unquam usus est Monogrammate; quia, sicut iam supra commemoratum est, ante Imperatorem Romanum Regemque Germanicum Carolum quintum, inter Bohemiae reges primum, nulla coniunctio Silesiae et regni Germanici fuit; igitur huius tantum Imperatoris Monogramma in tabulis nonnullis perraris conspicitur.

Quoad testes, observemus adhuc nonnulla ex diplomatibus Silesiacis. Divisionem linealem testium in Episcopos, Abbates, liberos homines, aut generatim in Clericos et Laicos, nunquam invenimus. Certa duntaxat distinctio semper manet: Duces testium seriem incipiunt, vnum vel alter Episcopus locum juxta eos tenet: tunc plura nomina hominum eiusdem ordinis, patriae nomine distinctorum, post quae sequitur ordinis appellatio coniunctim; exempli gratia: Fridericus de Barba, Hermannus de Richinbach, Iohannes de Kotwitz, Milites; aut tali modo: Henricus, Iohannes, Wenceslaus, Capellani domini Episcopi. Antiquissima tabula Silesiaca anni 1175 ita denominat testes:

»Donacionis autem horum omnium ac confirmationis testes sunt: Mesico patruus meus, dux maximus et principes cum episcopis, et clero ac omni populo tocius polonie. Et alia

manu^{*)} ego^{**)} bolezlaus filius huius bolezlai fundatoris interfui et assensi. Ego Jarozlaus alter filius^{***)}. Ego Mesico frater ejusdem bolezlai, dux de Ratibor, et ego Cunradus alter frater, dux de Glogov. Ego etiam Zuinezlaus, Ego Nadscivi, Ego Streso, Ego Janus, Ego petrek, Ego Obezlaus, Ego Domazlaus, Ego bertolfus, Ego bolenews, et Ego Iheronimus cancellarius recognovimus.^{****)}“

In nostris etiam Silesiacis tabulis raro fit initium a nominibus testium. Exemplum tamen ex Archivo Glogoviensi dat tabula Episcopi Iohannis:

”Datum Wratizlaue XVI kal. Julii anno Domini 1295 presentibus Dominis Magistro Andrea Decano, Vito Cantore etc.

Tabulas duplices, triplices, quadruplices etiam ars Silesiae diplomatica agnoscit, et tabularium generale academicum nonnulla demonstrat exempla. Jam saepe commemorata tabula prima anni 1175 quater, et, quod annotandum, in singulis varians, adest. Aliae tabulae his ex causis duplices sunt, quia ab initio negotii quaeque partium unum exemplar accepit, et post ejus finem pars principalis negotiorum gerendorum haec duo diplomata abrogata, memoriae causa in tabulario deposita. Partes has literas incidebant, in signum nullitatis, aut sigilla avellebant.

Verba actum et datum et usus eorum ambiguus Silesiacis tabulis non sunt aliena. Saepe ambo vocabula conjuncta reperiuntur et verosimiliter in his casibus pactum et eius editio sunt de uno loco et die. Antiquissimae Silesiacae tabulae finis dubi-

^{*)} hoc est: manu Notarii nec ipsorum manu testium, unde probatur, quod antea diximus.

^{**)} Videmus hic etiam usum verbi ego, si testis tabulam non sua manu subscripsit, sed nomen per Notarium inserebatur.

^{***)} deinde Episcopus Vratislaviensis et patris Boleslai inimicus.

^{****)} Recognitio Cancellarii adest, sed signum huius recognitionis in diplomate non invenitur.

tationem nullam admittit, quia verbis actum et datum caret.
Haec enim sunt verba:

„Hec autem confirmatio et conscripcio ac sigillacio facta
est super castrum Grodez*). Anno ab incarnatione domini
nostri Ihesu Christi M°.C°.LXXV°. in festo beatorum apo-
stolorum philippi et Iacobi. Indictione octaua.“

Actum et datum, aut sermone Germanico: geschehen vnd gegeben,
accurate interdum discernunt tabulae huius terrae, quod sequens
docet exemplum, ex diplomate Archivi ecclesiae cathedralis Glo-
goviensis sumptum. Albertus de Kolditz, Capitaneus ducatum
Swidnitz et Javor his verbis finit tabulam:

„Geschen zum Jaunvor vnd Gegeben zur Swidnitz 1435 Am So-
nabinde vor Sontage, als man Singet yn der heiligen Kirchen In-
uocavit.

Nil novi de temporis editione; tantum haec pauca ad uni-
versalem artem diplomaticam observamus. Diploma anni 1506
tempus edit singularibus his verbis:

„In vigilia vigiliae nativitatis Christi;
et ita in tribus tabulis ejusdem diei et anni.

Libri chronologici diem Sancti Stanislai, saepe in diplo-
matibus occurrentem, tribuunt illi Stanislao Episcopo Cracoviensi,
cujus festum die VIII Maji celebratur. In diplomatibus Sile-
siacis autem, et ni fallor, in tabulis quoque Prussicis, quod mihi
amicissimus Henningius, Director Archivi Regiomontani, nunc jam
mortuus, narravit, semper alter Stanislaus, etiam Cracoviensis
Episcopus, cuius dies festus pridie nonas Octobris est, a scripto-
ribus diplomatum memoratur et intelligendus est. Probat hoc
diploma monasterii Sancti Mathiae Wratislaviensis ex anno 1444,
in quo alter Stanislaus expresse nominatur:

„Mittwoch vor Stenczels Tag nach Ostern,
ad decernendum videlicet eum ab illo Stanislao Octobris. In

*) Grodzberg.

plurimis aliis diplomatibus ex toto contextu apparet, Sanctum Stanislaum autumni nec alterum illum veris esse intelligendum.

Papa Iulius II electus est die 1 Novembris 1503 et die XIII Calendarum Decembris eiusdem anni coronatus est. Huic electioni et coronationi tabula Archivi Glogoviensis cathedralis convenit, quae in capitulo generali die XIII Calendarum Maji 1504 perscripta est, in inductione VII et in primo anno Pontificatus dicti Iulii II. Huic diplomati et anno Pontificatus dicti Iulii Papae duo altera diplomata ejusdem tabularii Glogoviensis (nunc sub numeris 417 et 419 in novo indice) et a Papa ipso data, non congruunt. Altera, quae duplex adest, ita finitur: »Datum Romae apud Sanctumpetrum Anno Incarnationis dominice 1505 Quarto Idus Ianuarii, Pontificatus anno Tertio; «altera est huic similis, tantum habet: »Nono kal. Februarii scripta.« Signationem rectam iterum demonstrat tabula e jusdem Archivi, his verbis: »Marianus de Bartholinis utriusque Iuris doctor, Papae Capellanus et Sacri palacii Apostolici causarum Auditor« — — »Romae in domo habitacionis sua« — — 1506 Indict. IX. die vero Sabathi 27 mensis Iunii, pontificatus — Iulii papae Secundi anno tertio.«

Sphragistica Silesiaca specialis ab diligentibus et doctis hujus terrae incolis non adhuc satis culta est. Thebesius, Klose, Worbs et alii nonnulla sigilla per figuras aeri incisas publicabant, et nos per annos bellicosos 1813—1815 coepimus sex pulchra et magni momenti sigilla annorum 1175. 1272. 1353. 1384. 1501. 1510. ferro infusa edere, cum descriptione copiosa*). Amor patriae incolarum Silesiae tunc temporis violenter repressus, non favit ardori editois, et hic conatus expectat tempora meliora.

Omnis fere Silesiacis Dux maiori et minori sigillo usus est. Illud, sigillo majestato fere semper simile, occupat partem prima-

*) Der alten Schlesischen Herzoge, Städte, Äbte u. s. w. Siegel in Abgüssen. Be-
sorgt von Büsching Lieferung I. Breslau 1 rthl. 16 g. Ctr.

riam cereae massae; hoc, quod etiam contrasigillum aut in ipsa inscriptione secretum nominatur, posteriori cereae parti impressum est. Attamen invenimus nonnullas magnas massas cereas, quarum pars primaria solum contrasigillum demonstrat, pars vero posterior est rotundula.

Metalla nunquam sunt adhibita sigillis Silesiacis Ducum et Episcoporum efficiendis; sed semper primis temporibus aut cera pura, rubra, alba, flava et viridis aut maltha. Color cerae antiquissimorum sigillorum Silesiacorum nobis cognitorum non est albus, sed potius ruber et flavus.

Sigilla cerea mixta, id est sigilla ex diversi coloris cera composita, iam ex tertio decimo saeculo in Silesia invenimus. Corpus sigilli tunc flavum semper est, sigillorum autem imagines viridi cerae ac rubrae impressae sunt; nec semper compositum est hoc corpus ex cera pura, sed saepe pix est cum cera mista: haec sunt sigilla malthina sive mastichata. Sigilla viridia saepe a nigris non discernenda sunt, quia color viridis speciem nigritiae a vetustate traxit. Si vero sigillum leniter scalpis cultro, in innocuo imaginis loco, tunc ex ramentis facile colorem cognoscere posses. Viridi cera permulti Duces Silesiae usi sunt et praecipue Episcopus Wratislaviensis Henricus, contra morem Episcoporum hujus dioecesis, qui unus ex gente Comitum de Würben erat; urbes plures etiam et ecclesia cathedralis Glogoviensis hunc colorem in usu habuerunt. Nigra sigilla raro inveniuntur; verumtamen celebrissima Silesiaci Ducis Henrici I conjux, Sancta postea Hedwigis, in sigillis nobis cognitis et reliquis, maxime post obitum carissimi mariti, hoc colore usa est.

Sigilla rotunda in Silesia habent Duces, Urbes, Equites et alii; sigillis parabolicis, rotundatis et cuspidatis, Episcopi fere omnes (excepto Henrico iam iam commemorato) usi sunt, et etiam capitula ecclesiarum cathedralium. Sigilla triangularia nonnulli auctores gentium antiquarum nobilium, exempli gratia ille

celeberrimus inter majores gentis antiquae Reichenbachianae, Hermannus de Richinbach, judex hereditarius urbis Richenbach, habebant.

Quoad numerum, possidemus tabulas cum decem, quindecim, viginti, vigintiquinque et adhuc pluribus sigillis, omnes autem in margine inferiori, nec, sicut interdum in aliis terris, in superiori aut in lateribus pendentes.

Sigilla vel ipsis diplomatibus innexa, vel filis, chordis, loris-ve membranaceis dependentia deprehenduntur. Sigilla impressa sunt antiquissima et duravere in Germania usque ad Fridericum I., Imperatorem*). Quamquam autem hoc est tempus primarum tabularum Silesiacarum, sigilla tamen pendula tantum tabularia hujus terrae demonstrant, et licet senioribus duntaxat saeculis, in quibus sigilla impressa reviviscebant, etiam haec inveniamus, tamen more antiquo non impressa sunt.

Fila sericea, viridia, gilva, rubra, violacea, alba (nisi amisso colore gilvo in album conversa sunt) sigilla Ducum, Episcoporum, Abbatum, Urbium cum tabulis membranaceis jungunt, nec adhuc certorum electionem colorum ad negotia majoris aut minoris momenti discernere potuimus. Saepissime sigilla loris membranaceis, appensa sunt, et Silesia etiam nonnulla demonstrat exempla, sicut Germania et praesertim Gallia, ubi nomina eorum, quorum sigilla chartis adjicienda fuerant, vel loris membranaceis, e quibus sigilla pendebant, vel supra incisuras, quibus lora vel fila inserta fuerant, a notariis adscripta fuerunt; ex gr. in tabula Archivi Trebnicensis, quam Sancta Hedwigis, Anna, Henricus II et alii scribi jusserunt.

Saepe loco secretorum foramina aversae sigillorum parti pollice vel instrumenti cuiusdam rotundi ope imprimebantur, aut

*) Gatterer prim. lineae §. 346 p. 313.

etiam litera vel flos, sicut in sigillis scabinorum Glogoviensium, Svidnicensiumque, aut aliud signum.

Praeterea tabularium generale academicum Silesiae formam sigillorum propriam, quarum descriptionem semel tantum invenimus, demonstrat. Notarius per tabulam ceream modice tenuem, vel lora membranacea vel fila sericea inseruit, et ita conjunxit scripturam cum cera; super quodlibet latus papyri segmentum posuit, et tum demum impressit sigillum ita, ut per papyrum signum ipsum appareret. Archivum monasterii Sancti Vincentii Vratislaviensis nonnulla huiusmodi impressa habet sigilla, quorum raritatem probat Heineccius*). Carolus du Fresne narravit in dissertatione de inferiori aevo numismatum, quod Demetrius Paleologus Carolo VI, Francorum regi, misit literas clausas per sigillum ita impressum et alterius exempli mentionem fecit, cuius delineationem operi suo adjecit. Haec sunt antecessores sigillorum impressorum cereorum cum papyraceo tegumento nostri temporis.

Diplomatum comparationem absolvimus: nunc pervenimus ad illud argumentum, quod nostrae disquisitionis proprium elegimus, ad signa seu signeta Notariorum.

* de sigillis p. 173,

— 15 —

DE SIGNIS SEU SIGNETIS NOTARIORUM VETERUM
IN TABULIS SILESIACIS.

De Notariis veteribus dissertationem scripsit doctissimum Io. Guil. de Goebel*), et adjecit XVIII signa ridicula et monstrosa. Ad id, quod magna cum diligentia generatim de notariis scripsit, non audemus novi aliquid adjicere; signa autem tabulis aeneis illius operis incisa pertinent ad rem diplomaticam specialem et quidem ad illam Bremensis, Verdensis, Mindensis, Hildensenensis dioecesos. Igitur nobis permissum erit, ad hanc partem alias speciales notitias atque delineationes adjicere.

Referendarios, Apocrisarios, Cancellariosque ex usu et significatione antiquarum imperialium tabularum Germaniae Silesiam ignorare, iam in introitu Aphorismorum praecedentium diximus; notarios autem ex usu hodierni temporis semper possedit. Nam talis notarius ex definitione cl. Goebelii**) est: "persona publica, ab eo, qui summam habet potestatem, aut eius nomine ab alio, certis adhibitis solemnitatibus, ad id constitutus, ut actibus quo par est procedens modo, publicam conciliat fidem."

Omnia quae postulant tanquam necessaria leges a notariis, si scripta eorum valorem habere debent, etiam in Silesiacis tabulis reperimus. Literis acta excipere aut alios notariatus actus perficere non potuerunt, nisi ab Imperatore Romano, aut eius nomine veniam impetraverant. Igitur notarius se semper nominat in tabulis publicis Silesiacis "ex imperiali auctoritate."

Haud dubie etiam in Silesia, absoluto examine, fidem suam notarius iureiurando firmavit, penna, papyro, attramento scriptorio investitus est; addebatur verosimiliter etiam digito aureus an-

*) Baring clavis diplomatica, Ed. II, Hanoverae 1754, p. 197—228.

**) p. 211.

nulus, et capiti biretum simplex; certe ipsis concessum est singulare signum vel signetum, quod in omnibus literis publicis Silesiae invenimus, magna quorum multitudo huic disquisitioni adjecta est.

Praeter hoc signum tabulae Silesiacaे notariorum etiam omnia demonstrant, quae ad publicum instrumentum requiruntur, videlicet ut

- 1) invocetur nomen divinum: „In nomine domini amen.“
- 2) adjiciatur annus Christi et Indictio: „Sub anno nativitatis ejusdem“ (scil. domini, quod verbum modo legimus in praecedenti, invocatione divina) „Millesimo quadringentesimo Tricesimo quarto, Indicione duodecima.“
- 3) nomen Imperatoris et Papae. In omnibus Silesiae tabulis publicis expressum est nomen Papae, Imperatoris autem raro, imo nunquam fere invenitur. „Pontificatus in christo sanctissimi patris et domini nostri domini Eugenij diuina prouidencia Pape quarti, Anno eius quarto.“ Ad certiorem temporis editionem, absente Imperatoris nomine, in nostrae terrae diplomatibus semper annum Pontificatus additum legimus.
- 4) mensis et dies, hora, locus: „die vero Iouis tercia decima mensis Augusti hora meridiei uel quasi, In Stuba inferiori domus habitacionis famosi viri Jungehans retro ecclesiam sanctipetri ibidem in legnicz sitae.“
- 5) causa literarum et omnes aut notarii aut partium res gestae;
- 6) nomina et cognomina testium;
- 7) subscribatur et subsignetur: „Et ego*) Sigismundus quondam Matuschkonis de wechouia Clericus Olomucensis dioecesis publicus Imperiali auctoritate Notarius, Quia predictis literarum Apostolicarum et Commissionum praesentacioni recep-

*) Haec subscriptio est ex alio diplomate quam eo quod antea memoravimus sumpta.

cioni articulorum oblationi testium examinacioni et Sentenciae locucionи Omnibusque alijs et singulis dum sic ut premititur coram dicto venerabili viro domino Heinrico Roll Archidiacono ac Iudice et Commissario agerentur et fierent vnam prenominatis testibus presens fui Eaque omnia et singula premissa sic fieri vidi et audiui Ideoque presens Instrumentum publicum de mandato dicti domini Iudicis et Commissarij manu mea propria scriptum exinde confeci et in hanc publicam formam redigens Signoque et nomine meis solitis et consuetis consignauit vnam Appensione Sigilli Commissariatus memorati domini Heinrici Roll Archidiaconi ecclesie Collegiate ac Iudicis et Commissarij predicti rogatus et requisitus In fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.“

Et ad haec necessaria probanda, quae sub 1. 2. 3. 4. 7. leguntur, ad signetorum delineationem ex tabulis initium et subscriptionem semper huic disquisitioni adjecimus.

In octodecim diplomatibus, quae de Goebel in suo opere nobis descriptsit, nusquam reperitur post notarii nomen adverbium „quondam“, quod in nostris tabulis saepissime legitur. Iohannes de Ouerenkerken in Goebelii disquisitione se modo nominat „alias dicitur Reneman“ et ita denominat patrem suum, quia ipse nomini suo urbem patriam adjecit.

Huius verbi „quondam“ explicationem nobis dat tabula anni 1396 sub Nr. 53., dum ei praecedat natus, quod semper in aliis omissum est; nostro „etwan, welland, igitur respondet, et notarius patre mortuo semper usus est hoc verbo. Patre vivente vel suum nomen subscrispsit, ex gr. anno 1373 Nr. 38: „Et ego Nicolaus Senkwicz de Nysa Clericus Wratislaviensis dioecesis“; vel tantum nomen patris in genitivo nominavit cum suo, ex. gr.: „Et ego Henricus Petri Clericus Civit.“ aut: „Et ego Michael

Bartholomei Blorok de Grotkaw Clericus Wratisl.“ aut: „Et ego Nicolaus petri dicti Bozopetir de Goltberg, Wratisl.“ etc.

Ad meliorem probationem verbi „quondam“ significationis, quod est nihil aliud quam verbum germanicum „weiland“, mentionem documenti Ducis Boleslai I ex anno 1201 facimus, cuius initio legimus haec verba: „Idcirco ego Bolezlaus dei gracia dux zlezie, filius illustris quondam et maximi ducis wladyzlai declaro“ etc.

Contemplemur nunc signa notariorum ex tabulis Silesiacis desumpta et secundum temporis consecutionem ordinata; observemus ad quodlibet, si quid forte fuerit observandum.

T A B U L A I.

1.

1289.

„Et ego Petrus Raynerij de Montechiello¹⁾ Senarum districtus, clericus, publicus Imperiali auctoritate et nunc dicti domini Cardinalis²⁾ Notarius.“

Ex tabulario Monialium S. Clarae Wratislaviensium.

„Datum Rome apud sanctam Sabinam die Sexto mensis februarij sub anno domini Millesimo. C^oC. Octuagesimo nono Indictione secunda Pontificatus domini Nicolai. pape. quarti anno Primo.“

1) Montalcino. 2) „Hugonis sancte Sabine Presbyter Cardinalis.“

2.

1316.

„Et ego Theodericus quondam Theoderici senioris de Harthmansrode Halbirstadensis dyocesis scriba actorum consistorij wratislauiensis Imperiali auctoritate Notarius publicus.“

Ex Archivo Monialium S. Clarae Wratislav.

— — „Actum in Choro Monasterij sancte clare VIIJ^o Idus Augusti, Anno dominij Millesimo Trecentesimo Sexto decimo.“

3.

1328.

„Et Ego Iohannes quondam Henrici de Grotkow clericus Wratisl. dyoc. Imperiali auctoritate notarius publicus.“

Ex tabulario Monasterii S. Mathiae Wratisl.

— — „Actum loco premisso³⁾ Anno domini Millesimo CCC^o XXVIIJ^o pridie Idus Maii hora tercie Indicione XI.“

3) Wratislaviae.

4.

1333.

„Et ego Petrus quondam Henrici de Bychcow Cracoviensis dyocesis clericus auctoritate Apostolica et Imperiali Notarius publicus.“

Ex tabulario ecclesiae cathedralis Glogov. magn.

— — „Actum et Datum. Wratislaviae. V^o Nonas Iulij anno domini. M^o CCC^o Tricesimo tercio.“⁴⁾

4) Est tabula Nankeri Episcopi Wratislaviensis, subscripta ab hoc Notario et Iohanne quondam Guntheri de Nysa, quem vide sub Nro. seq.)

5.

1333.

„Et Ego Iohannes quondam Guntheri de Nysa Clericus Wratislauiensis diocesis publicus Imperiali auctoritate Notarius.“

Ex tabulario ecclesiae cathedralis Glog. magn.

„Actum et Datum. Wratislaviae. V^o Nonas Iulij anno domini M^o. CCC^o Tricesimo tercio.“⁵⁾

5) conf. diploma praecedens.

6.

1336.

„Et ego Iacobus Martini de Ponacowicz clericus Wratisl. dioecesis publicus Imperiali auctoritate Notarius.“

Ex tabulario ecclesiae cathedralis Glogov. mag.

— — „Actum Wratislauie in Curia nostra Episcopali⁶⁾ XV^o kal. Maij Anno domini M^o CCC^o XXX^o sexto.“

In medio signi A cuius significatio incerta est.

6) Nankeri Episcopi Wratislav.

7.

1336.

„Et ego Nicolaus quondam Heynrici de Poutwynsdorph Clericus wratislauensis dyocesis publicus Imperiali auctoritate Notarius.“

Ex tabulario S. Mathiae Wratislav.

— „Actum in Curia nostre habitacionis wratislauie. Anno domini Millesimo. C^oC^oCmo XXX^o sexto. Indicione quarta. x, kln. septembris. hora. quasi. vesperarum.“

In signi medio AR et in angulis nicolavs.

8.

1337.

„Et Ego Hermannus quondam Arnoldi de nouo fero wratisl. dyoc. Clericus Imperiali auctoritate Notarius publicus.“

Ex Archivo ecclesiae cathedralis Glogov. magn.

— — „Actum Glogovie in domo honorabilis viri domini Gysilheri, An-

no domini M° CCC° XXX° septimo, Indicione quinta, quarto ydus Aprilis, hora quasi sexta.“

In medio signi H' (Her) et in angulis M, a (an) N et I. Hermanni.

9.

1337.

„Et ego Henricus quondam Henrici de Wratisl, clericus eiusdem⁷⁾ dyocesis, publicus Imperiali auctoritate notarius.“

Ex Archivo Monasterii S. Mathiae Wratislav.

— „Actum in stuba habitacionis nostre Wratisl. anno domini Mille-simo. C°C°Cmo XXX septimo. iiiij, kal. Ianuarii. Indicione quinta hora quasi nona.“

7) Wratislaviensis.

10.

1347.

„Et Ego Iohannes de vrienstat, quondam Iohannis Wyntrudis filius. Clericus wratislauiensis dyoc. Publicus auctoritate Imperiali Notarius.“

Ex tabulario Augustinorum Saganensium.

— — „Anno Natuitatis eiusdem⁸⁾ M°. C°C°C°. xl. vii^o. Indicione xv. xiiij kalendas Iulij hora quasi XL.⁹⁾ — — Actum in Sagano in Stupa. domini Abbatis predicti¹⁰⁾.“

In cuspidibus IOHANNI et in medio signi S.

8) scil. domini. 9) Nomen Papae omissum est. 10) Hermaani. (Theodericus Prior, Conradus praepositus.)

11.

1348.

„Et ego Iohannes Modlici de Wilczcaw, clericus wratislaviensis dyocesis, publicus imperiali auctoritate notarius.“

Ex Archivo S. Mathiae Wratislav.

— — „Actum Wratislavie in Choro Ecclesie kathedralis Anno domini M°. CCC°. xloctauo Indicione prima v^o kln. mensis nouembris¹¹⁾.“

11) Nomen Papae iterum omissum est.

12.

1349.

„Et ego Henricus Petri Clericus Ciuitatis Wratislauiensis Publicus Imperiali auctoritate Notarius.“

Ex tabulario S. Mathiae Wratislav.

— — „Sub Anno Natuitatis eiusdem¹²⁾ M°. CCC°. xl^o nono, In

diccione Secunda. xj^o. kl. Maij. hora tercia in villa knegnicz Magna¹³⁾ prope Jordansmul, Nympcensis districtus.“

12) scil. domini. 13) Großknegnitz.

13.

1350.

„Et ego Iohannes quondam Iohannis de frankinstein presbyter wratisl. dyoc. publicus auctoritate Imperiali notarius predicte.“

Ex tabulario S. Mathiae Wratislav.

— „Anno nativitatis eiusdem¹⁴⁾ Millesimo CCC^o Quinquagesimo Indicione Tercia VIJ^o ydus Iulij hora quasi Sexta in dote ecclesie Sancti Petri Opidi legnicensis.“

In pede signi: Iohannis.

14) scil. domini.

14.

1350.

„Et ego Iohannes. quondam Iohannis de Sagano opido supradicto clericus auctoritate imperiali notarius publicus wratisl. dyoc.“

Ex Archivo Augustinorum Saganensium.

— „Anno nativitatis eiusdem¹⁵⁾ Millesimo. CCC^o Lmo primo, Indicione quarta iij^o ydus Septembbris hora quasi nona diei citra terminos hereditatis Reuerendi ac venerabilis in christo patris et domini Theoderici abbas Canonicorum Regularium Monasterii gloriosissime Marie virginis in Sagano Wratislauiensis dyocesis.“

In trunco signi ab omni latere S. videndum est.

15) scil. domini.

15.

1352.

„Et ego Stanislaus Ade de Ruffaeclesia Clericus Cracouiensis dyocesis publicus Imperiali auctoritate Notarius.“

Ex tabulario Monialium S. Clarae Wratislavieñs.

— „in domo habitacionis nostre¹⁶⁾ Wratislauie prope ecclesiam kathedralem. xj^o kalendas Iunij hora quasi Sexta anno domini M^o. CCC^o. Quinquagesimo secundo. Indicione. va¹⁷⁾“

In medio signi T et A in magno S, significans verosimiliter STA; in pede: Signum.

16) Henrici de Banz, Archidiaconi. 17) Simul cum Stanislae subscrispit banc tabulam cum nomine et signo Iohannes Pauli de Policz cuius signum ex altero diplomate vide Nr. 16.

16.

1352.

„Et ego Iohannes Pauli de Policz Clericus pragensis diocesis publicus Imperiali auctoritate notarius.“

— „Actum Wratislavie ante minus hostium Ecclesie kathedralis xij^o kfn. Octobris Anno domini M^o. CCC^o. quinquagesimo secundo Indicacione Vta.“

T A B U L A II.

17.

1353.

„Et ego Nycolaus peczoldi de Cruczeburk Clericus wratislaviensis dyocesis publicus Imperiali auctoritate Notarius.“

Ex tabulario Monasterii S. Mathiae Wratis.

— „Sub anno Natiuitatis eiusdem¹⁸⁾ Millesimo CCC^o. IIIJ^o. Indicacione sexta. quinto nonas mensis marcij hora quasi nona. in Estuario habitationis. honorabilis ac prouidi viri heynkonis dicti swol seu busewoy in modeligisdorf.“¹⁹⁾

18) scil. domini. 18) Modelsdorf hodie.

18.

1355.

„Et ego Wenceslaus Sbinconis de Lultz Clericus Olomucensis dyoc. publicus auctoritate Imperiali Notarius.“

Ex Archivo Henrichoviensis Monasterii.

— „Anno Natiuitatis eiusdem Millesimo Trecentesimo Quinquagesimo quinto Indicacione nona²⁰⁾ secundum consuetudinem Gneznensis prouincie duodecimo kal. Ianuarij hora quasi nona in Ciuitate Wratisl. in domo Religiosorum virorum dominorum... Abbatis et... Conuentus Monasterii de Henrichow Cysterciensis Ordinis Wrat. dyoc.“²¹⁾

In signo A(?) et W. (Wenceslaus.)

20) secundum consuetudinem communem (nec secundum graecam sicut, in hoc diplomate) Ind. VIII. 21) conf. Notarium seq., cuius signum etiam in hac tabula videendum est.

19.

1355.

„Et ego Petrus quondam Conradi de frankinstein Clericus Wratisl. diocesis publicus auctoritate Imperiali Notarius.“

Ex Archivo Henrichoviensi.

Vide Nr. 18.

20.

1357.

„Et Ego Iohannes quondam Conradi de Dresden Clericus Misnensis dyocesis publicus auctoritate Imperiali Notarius.“

Ex tabulario Monasterii Monialium S. Clarae Glogov. mag.

— „actum anno domini M° CCC°. L. septimo. quinto kaln. Maij in ecclesia sancte Crucis predictarum dominarum et Sororum in Glogouia ante cratem ferream per quam fit sermo ad eas.“

In signo IOHAN.

21.

1357.

Et Ego Conradus quondam Martini de Petirwicz, Clericus Wratislauiensis diocesis publicus Imperiali auctoritate Notarius.“

Ex tabulario Monialium S. Clarae Wrat.

— „Sub Anno Natiuitatis eiusdem²²⁾ Millesimo Trecentesimo Quinquagesimo Septimo, Indicione decima vj^o ydus Iulij, hora Nona uel quasi in domo magna validorum virorum Alberti et Titzconis fratrum de Czurbow, in Laurentiuilla alias Lorenczendorf²³⁾ kaithensis districtus.“

In medio signi C, Conradus, in cuspidibus stellae octangulae MEUS DEUS.

22) scil. domini, 23) hodie Lorendorf.

22.

1360.

„ET ego Erasmus quondam Iohannis Saydor de Wolauia Clericus Wratislauiensis dyocesis publicus Imperiali auctoritate Notarius.“

Ex tabulario ecclesiae cathedralis Glogov. magn.

— „Actum et datum Wratislauie iiiij kalend. Augosti in kamenata habitacionis nostre²⁴⁾ Anno domini Millesimo Trecentesimo Sexagesimo. In medio signi erasmus.

24) Petri de Opol Canonici et officialis Wratislauiensis.

23.

1360.

„Et ego Iohannes quondam Nicolai de Lubens clericus Wratislaviensis diocesis publicus auctoritate imperiali Notarius.“

Ex tabulario S. Mathiae Wratisl.

— „Sub Anno Natiuitatis eiusdem²⁵⁾ Millesimo, CCC°, Sexagesimo, Indicacione xiiiij²⁶⁾ v^o Idus Decembris in Stuba seu estuario Strennui? viri domini Iohannis dicti de Kothewicz Militis hora terciarum uel quasi.“

25) scil. domini, 26) Indictio falsa est, nisi a primo Decembris Notarius annum incepit.

24.

1361.

„Et Ego Iohannes Certil quondam henrici de Welin Mysnensis diocesis Clericus publicus Imperiali auctoritate Notarius.“

Ex Archivo Vincentinorum Wratislav.

— „Sub Anno Nativitatis eiusdem²⁷⁾ Millesimo Trecentesimo Sexagesimo primo Indicione xiiiij die Beate Gerdrudis virginis que fuit xvij kal. Aprilis hora uesperarum uel quasi in silua prope Czypelin²⁸⁾ alodium dominorum Canonicorum et Capituli ecclesie sancte Crucis Wratislauie ex illa parte uersus Oderam.“

27) scil. domini. 28) hodie Simeoni.

25.

1363.

„Et ego Iacobus quondam heynrici de Bork Clericus Gnezenensis dyocesis publicus Imperiali auctoritate Notarius.“

Ex Archivo S. Mathiae Wratisl. —

— „Sub Anno Nativitatis eiusdem²⁹⁾ M°. CCC°. LX°. Tercio Indicione prima Quinto kalendas Iunij. Hora nona vel quasi. in Ciuitate Cruceburgensi in domo habitacionis honesti viri. domini Petri Banori.“

In signi pede: medium tenuere beati.

29) scil. domini.

26.

1366.

„Et ego Iohannis Ottonis de Slewicz Clericus Wratislauiensis diocesis publicus Imperiali Auctoritate Notarius.“

Ex Archivo S. Mathiae Wratisl. —

— „Actum et datum Wratislauie in domo habitacionis nostre³⁰⁾. anno dominj Millesimo CCC° Ix vj°. Indicione. iiiij. die. IX. mensis Iulij hora quasi Terciarum.“

30) Iacobi de Paczkow, Prepositi Ecclesie Wratislauiensis.“

27.

1366.

„Et ego Henricus quondam Nycolai de Losslauia. Clericus Wratislauiensis Dyocesis Publicus Auctoritate Imperiali Notarius.“

Ex tabulario Augustinorum Saganensium. —

— „Sub Anno Nativitatis eiusdem³¹⁾. M°. CCC°. Ixvj°. Indicione. iiiij. x. kalendas Septembries. hora quasi sexta. In Ylauia³²⁾. Inferiori villa. Districtus Sprotouiensis. In Curia Honesti viri Grabisij de kothewicz. ante Propugnaculum sub quadam arbore. ubi erat locus commestionis.“

In signo H (Henricus).

31) scil. domini. 32) hodie Gilau; verosimiliter Ilva Chron. Dithmari.

28.

1366.

„Et ego Iohannes quondam heinrici de kothebus clericus Misnensis diocesis Publicus Imperiali auctoritate Notarius.“

Ex tabulario eccl. cathed. Glogov. magn.

— „Datum et Actum Auinion in ecclesia nostra³³⁾ sancti petri auuiuensis Anno dominj Millesimo Trecentesimo Sexagesimo sexto. Die sabbati decimaseptima mensis Octobris Indicione quarta hora uesperorum

uel quasi Pontificatus sanctissimi in christo patris ac dominj nostri deminj
Vrbanj diuina prouidencia pape quinti Anno quarto.“

In medio signi I (Iohannes.)

33) „domini Philippi folcrandi Decani Ecclesie sancti Petri Auinionensis.“

29.

1367.

„Et Ego Bertholdus Petri de Camen Clericus Wratislauiensis
diocesis Imperiali auctoritate publicus notarius.“

Ex Archivo ecclesiae cathedralis Glogoviae magn.

— „Sub Anno nativitatis eiusdem³⁴⁾ Millesimo Trecentesimo Sexagesimo
septimo Indicione quinta die Solis nona mensis Maij hora terciarum,
in Choro Ecclesie Wratislauiensis.“

34) scil. domini.

30.

1368.

„Et ego Iohannes Iohannis de Petirwicz Clericus Wratislauiensis
dyocesis publicus Imperiali auctoritate Notarius.“

Ex tabulario S. Mathiae Wratislav.

— „Actum et Datum in Castro seu Summo Wratislauensi. in domo ha-
